



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

112. An post mortem donatoris possit donatio acceptari? Et quid, si donatio facta sit in fauore piæ causæ. Ex p. 8. tr.. 6. res. 95.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

illam nunciet promissario, promissio est invalida; secus de procuratore, cuius omnia acta ante notitiam reuocationis sunt valida. *Primum* constat *l. si verò, si mandauero, ff. mandati*, ubi dicitur extingui mandatum mutata voluntate mandantis. *Secundum* colligitur ex *l. si mandassem, cod. tit.* Si mandassem tibi, inquit, vt fundum emereres, postea scripsissem ne emereres, tu antequam scias me vetuisse, emisisses, mandati tibi obligatus ero. Ratio discriminis est, quia nuncius non aliam potestatem à mittente accipit, quam deferendi ipsius voluntatem ei, ad quem mittitur; ergo ea reuocata cessat eius officium. Contra verò procurator accipit potestatem transgredi negotii principalis agentis: proinde quandiu ipsi non innotescit reuelatio principalis agentis, potestatem retinet transferendi aliquid ius, saltem imperfectum, & ad rem in promissarium.

4. Ceterum *notandum* ex Molina *disp. 264*, vt donatio valida sit, requirit, vt consensus promittentis, aut per aliquem ab ipso promittente destinatum insinuetur promissario: alioquin si per alium à promittente non destinatum ipsius consensus promissario insinuetur, non erit valida donatio. Sicut nec erit valida donatio, si donatarius suum consensum significet alteri, quam nuncio ab ipso donatore constituto, vt enim duorum consensus in pactum coalescant, debent mutuo sibi correspondere, vt ex ipsa definitione pacti colligitur: est enim, vt illud definit Vlpianus *l. 3, ff. de pollicit.* duorum consensus atque conuentio.

RESOL. CXI.

An si nuncius iniuste non tradat absentem rem donatam, teneatur ad duplicem restitutionem, donatario, & heredibus donantis?
Et quid in predicto casu, si donatio facta erat Ecclesie, vel pia causa? Ex part. 8. tit. 6. Ref. 94.

Sup. hoc in tom. 8. ref. 17. Ref. 17.

§. 1. **C**asus est curiosus: Et affirmatiue respondet *Amic. in Curs. Theol. t. 5. c. 18. sect. 4. n. 5*. *Fauf. in Spec. Confess. disp. 29. q. 42*. *Trullench in Decal. 10. 2. lib. 7. c. 17. dub. 4. n. 4*. ubi sic ait. Hinc sequitur, si culpa nuncij donatio non fuerit ante mortem donantis facta, teneri nuncium ad duplicem restitutionem: nam heredibus defuncti teneri ratione rei, quæ tunc illorum est donatario verò ratione damni, quod eius culpa contraxit, vt notat Molina *disp. 263*. Posito enim tali mandato, tenebatur nuncius lege iustitia adhibere diligentiam, & mandatum ex mente mandantis in commodum donatarij implere. Ita ille. Et antequam Villalobos, in *sum. 10. 2. r. 20. diff. 3. n. 8*, sic asserens: [Si succedisse que muriesse la persona a quien se haze la donacion antes de acceptarla, en tal caso, como el heredero representa la persona del difunto, podrala acceptar por el, que ya estaua perfecta, y valida de parte del que la hizo, segun mas probable sentencia, que tienen Couarruias, y otros que sigue Sanchez.

2. Mas si succedisse caso, que auiedo embiado con el mensajero lo que auia de dar a Pedro, y el lo hurtò, y entre tanto se murio el que le embiava, estará obligado el mensajero a restituyla dos vezes. La vna, a los herederos del difunto, porque era suyo. Y la otra, a quien se haueria de dar, porque damnificò en esto.] Hoc etiam docuit Molina *tom. 2. disp. 263*.

3. Sed non deseram hic adnotare in parte dissentire ab his Doctoribus Layman *lib. 4. tit. 4. c. 1. n. 6*, ubi ita ait. Si nuncius destinatus a donatore rem iniuste detinens, vel absumentis, suo tempore non tradat donatario atque interea moriatur donator, ad duplicem restitutionem nuncium obligari: *nam* heredibus faciendam, quia mandatum morte mandantis expirauit: *alteram* verò donatario, quia nuncius iniusta causa fuit, cur ille

donatam rem non acquisierit. Ego fateor, hanc posteriorem partem simpliciter veram esse; ad priorem autem restitutionem nuncium non obligarem ante iudicis condemnationem. Sic ille.

4. Sed non est discedendum à prima sententia, si tamen donatio non sit facta Ecclesie. Et ideò Naldus in *sum. v. Donatio, n. 20*, sic ait. Donandam pecuniam amico suo mittens, aut tradens famulo, qui eam illi deferat, si is distulit iniuste eam perferre, & interim donator decedat, tenetur restituere pecuniam heredibus defuncti donatoris, quia mandatum fuerat morte reuocatum, & insuper tantumdem tenetur restituere donatario, quem iniuste dicta pecunia malitiosè priuauit; falleret hoc, si esset mandatum ad pias causas, quod morte non reuocatur, & ideò ad eandem causas pias adhuc pertinere. Ita ille, cui adde Molinam *t. 2. disp. 23. 8. n. 7*.

RESOL. CXII.

An post mortem donatoris possit donatio acceptari?
Et quid, si donatio facta sit in fauorem pie cause? Ex p. 8. tit. 6. Ref. 95.

§. 1. **R**espondet Faustus in *Spec. Confess. disp. 19. q. 41*, & Trullench in *Decalog. 1. 2. lib. 7. c. 17. dub. 4. n. 6*, quòd quando donatio ante mortem facta est ex parte donatoris, & missa est epistola, vel nuncius, qui illam absentem insinuet, vel tradat, si cõtingat donatorem mori ante nuncij insinuationem acceptari non posse. Docent Sanchez *lib. 1. de mar. disp. 6. n. 5*, & alij, verius esse illà adhuc acceptari posse: nam ex parte donatoris fuit valida, *l. nec ambigi, C. de don.* & manet virtute impressa literis, vel nuncio, vt donatarium transeat. Deinde, quia gratia non expirat morte concedentis, *c. si super gratiam, de offic. deleg. in 6.* & non est, proprie loquendo mandatum (vt quidam putant) quod expirat morte mandantis. Quòd si donatio ante mortem donatoris non est facta ex parte ipsius, sed solum mandata fieri, vt si re per nuncium mitti, vel per procuratorè cum mandato, vt suo nomine det absentem, si tunc donator ante acceptationem moriatur, non valet acceptatio, quia non fuit facta donatio, sed tantum mandatum donandi; mandatum autem sola morte mandantis expirat. At si mandatum fuit factum in fauorem pie cause, morte mandantis non expirat, ita enim præsumendum est de intentione mandantis, vt bene Couarr. *lib. 1. var. c. 1. q. m. 16*. Et omnia supradicta docet etiam Villalobos in *sum. 2. r. 20. diff. 3. n. 8*. & Lessius *lib. 2. c. 8. dub. 6. n. 46*.

2. Probatum hæc opinio, *Primo*, quia donatio hæc ex parte donantis valida, & perfecta est, licet ab eo reuocabilis, sicuti colligitur ex *l. nec ambigi, C. de don. secundo*, si gratia expedita sit ex parte cõcedentis, licet is moriatur antequam ad executionem processum est, tamen executor nihilominus exequi debet: donatio autem est genus quoddam gratiæ; ergo si nuncius destinatus non cum mandato donandi, sed vt merus executor, & traditor rei donatæ, id etiã post donantis mortem exequi poterit. *Tertio*, si in ipso casu donatarius moriatur antequam donationem acceptet, hæredes illius acceptare possunt, quod signum est, donatarij, cui ipsi succedunt, ius in re donata acquisiuisse, etiam ante acceptationem.

3. Sed contrariam sententiam tradit Layman *lib. 4. r. 4. c. 1. n. 6*. Molina *10. 2. disp. 263 §. in iura hactenus*, & habetur in *2. §. de don. Sed* si quis donaturus mihi pecuniam, dederit alicui, vt ad me perferret, & ante mortuus erit quàm ad me perferat, non fieri pecuniam dominij mei, cõstat. Quod verum est, vt ait gloss. *v. Dominij*, quamuis mihi dicta pecuniam postea tradat, consentit *l. absentis, ff. cod. Secundo*, probatur ratione: nam vel donatarius in hoc casu habet ius accipiendi donationem ex vi pacti seu donationis, vel ex vi mandati. *Primum* dici nõ potest, quia omne pactum requirit duorum consensum in idè ante

ante mortem donataris donatorius, neque per se neque per alium confensit, aut acceptavit: post mortem autem extinguitur confensus donantis, arg. *de rescriptis in 2.* Ergo utriusque confensus in pacti obligationem concurrere nunquam poterunt. Neque secundum dici potest, quia mandatum extinguitur morte mandantis, si executioni nondum dari coepit, iuxta *leg. mandatum, C. mandatis, §. praeerea, Inst. eod.*

4. Verum Amicus *tom. 5. disp. 18. sect. 5. n. 50.* circa praesentem questionem distinguit. Sic enim ait: Gravior difficultas est, si moriatur donator antequam donataris donationem acceptet, an talis donatio censatur acquisita donatario? Ratio dubitandi est, quia mandatum expirat morte mandantis, ut *supra* visum est: ergo mortuo donatore ante acceptationem donatarij expirat donatio. In contrarium est, quia tunc mandatum morte mandantis expirat, quando illud non est coeptam executioni mandati, per literas expeditas, vel per nuncium ad talem finem destinatum.

5. Aliqui affirmant, aliqui negant. Ego distinguendum existimo: nam vel donatio mittitur insinuanda donatario per internuncium, nullo quovis actu publico, & tunc censetur locum habere rationem dubitandi, quod mandatum expirat morte mandantis, vel donatio mittitur per literas authenticas & publicas, & tunc adhuc mortuo donatore iudico donationem acquiri donatario. Quia tunc per literas authenticas scriptas & expeditas acquiritur ius donatario, quod sine aliqua iniuria revocari non potest. Idem esset, si mortuo nuncio, literae ipsae per nuncium missae pervenirent ad manus promissarii. Contra verò, si nuncius solo verbo erat promissionem insinuaturus: illo mortuo expirat promissio. Hinc inferitur, talem donationem per literas factam, posse ab haeredibus promissoris, promissore mortuo, revocari. Ita ille: sed ego puto omnes supradictas opiniones esse probabiles.

RESOL. CXIII.

An quis possit acceptare donationem pro absente?
Et quid si donatio sit firmata iuramentis? Ex p. s. tr. 6. Res. 97.

1. Reiter respondeo, regulariter non posse, *l. si stipulatio, §. alteri, C. de stipulatio, ff. de verb. oblig. §. si quis alij, §. alteri, Inst. de inutil. stipul.* Ita ut nec mandatum generale sufficiat ad acceptandum, seu stipulandum pro alio, Glossa recepta in *v. si sibi absenti, verba habueris de prob. in 6.* Couar. *ib. 3. va. res. c. 16. n. 4.* & post alios Sanch. *d. lib. 1. disp. 7. n. 4.* id ipsum probans *n. 5.* de fratre, ut pro alio fratre nequeat stipulari, ubi tamen probat verius esse, posse matrem pro filio, & *n. 6.* patrem pro filio in multis casibus, etiam emancipato, ut probat *n. 7.* & tutorem pro pupillo, vel curatorem pro minore, ut *ibid.* docet *n. 8.* sicut & potest filiusfamilias pro parte, seu pro domino, Monachus pro Monasterio stipulari, *§. si quis alij, Inst. de inutil. stipul.* Non ita verò, famulus pro hero, filius sui iuris pro patre, aut matre, discipulus pro magistro, ut tradit Sanch. *d. disp. 7. n. 4.* post Molinam *de contr. 264. §. alij verò* De Notario, licet plerique velint posse, quos refert Sanch. *eodem disp. 7. n. 11.* tamen verior est contraria, quam *ibid.* post alios plurimos tueretur: at pro causa pia quilibet stipulari potest, ut late ex communiori resoluit *n. 19.* Id autem quod dictum est, posse quosdam pro aliis stipulari, operatur, ut ipsis stipulantibus non possit donatio vel promissio revocari, etiam ante absentis ratificationem, provt sentiunt praecitati DD. at praeceteris docet idem Sanch. *eodem disp. 7. n. 12. et 13.* post Molinam *d. disp. 261. §. iure etiam concessum est.* Sed hoc accipiendum est, ut loci habeat, quando verba promissionis diriguntur in praesentem, ut

promitto tibi, me daturum Titio: sed si dirigantur in absentem, ut promitto Titio, uti satis comprobat Sanchez *d. n. 3.* quidquid sit quoad hoc in tutore & curatore, de quo *ib.* in quo etiam id negant plerique ab eo laudari: quod si verbis impersonalibus concepta sit promissio, ut promitto me daturum Titio, tunc verius est, valere stipulationem, nec etiam ante ratificationem, revocari posse promissionem, si stipulantis interfuit, ut contra non paucos docet *ibid.* Sanchez, praecipue ex *d. 1. stipulatio ista, §. si stipuler, in fin. ff. de verb. oblig.* Praereerea accipiendum hoc est in contractibus lucrativis: nam in onerosis & respectivis, ac utroque obli-gatoris omnimò necessarius est consensus absentis, ut idemmet Sanchez satis ostendit; *eod. disp. 7. n. 11.*

2. Vide etiam circa praesentem questionem firmantes supradicta, Faulum in *Spec. Conf. disp. 10. q. 54.* Molinam *1. 2. disp. 264.* Trullenchi in *Decal. 1. 2. lib. 7. c. 17. dub. 5.* Rebullum *p. 2. lib. 18. q. 2.* Villalobos *1. 2. tr. 20. diff. 3. n. 9.* Lessium *lib. 2. c. 18. dub. 7. per totum.* & alios penes ipsos, quibus adde Amic. *1. 5. disp. 18. sect. 4. n. 47.* ubi rectè observat, quod permittunt intra, ut donatio acceptari possit per eos qui sunt sub potestate donatarij, ut manifestè colligitur *§. si quis, Inst. de iur. stipul.* Si quis, inquit, alij quam ei, cuius iuri subiectus sit, stipuletur, nihil agit. Igitur è contrariò, si stipuletur ei cuius iuri subiectus est, validè agit. Ex quo sequitur; validam esse donationem acceptatam à filio nomine parentis; dum est sub patria potestate, à mancipio nomine sui domini, à Religioso nomine Praelati ab vxore nomine mariti: contra verò non valere acceptationem factam à filio emancipato nomine patris, aut matris, à discipulo nomine magistri, à vassallo nomine Principis, à famulo conductitio nomine heri. Caeterum factam ab amico nomine amici, Lessius *lib. 3. c. 18. dub. 7.* validam esse putat. Quod probabile est: valida quoque est facta à tutore nomine pupilli, à Principe nomine subditi, & vniuersaliter ab eo qui aliorum curam gerit. Eandem auctoritatem donationem acceptandi nomine absentis concedunt iura tabellionibus & iudicibus, ut colligitur ex *l. si pupillus, ff. rem pupilli saluam fore* adiuncta Gloss. & ex *c. Quamquam, de usuris, in 6.* ut autem promissio validè à praesente nomine absentis acceptetur, debet ad praesentem dirigi.

3. Sed his omnibus non assentit Rodriguez, & distinguit in *sum. 1. c. 172. n. 1.* sic asserens: [La donacion, aunque sea causa mortis hecha al absente aunque sea a vna Iglesia con el acto interior, è exterior no obliga: porque es necesario que concorra el consentimiento de ambas las partes, y aunque se haga delante de Notario que la accepte en nombre del absente antes, que este absente ratifique su aceptación, que se puede reuocar, porque no ay derecho, que de facultad al Notario, para la aceptar fuera de juyzio, y las leyes, que le dan esta autoridad, si bien se ponderan folamente, se lo dan en juyzio, aunque alguna ley mande, que puede aceptar por otro absente, esto se entiendo figuiendose la ratihabitacion de dicho absente, como lo enseñan Paulo de Castro, Alexandro, y Decio, a los quales refieren, y figuen Molina, Gutierrez, y el Padre Molina, la qual opinion tengo por mas iuridica que la contraria, que despues de otros defienden Molina, Matienzo, y no importa que iure de no la reuocar: porque esto iuramento como es accessorio a esta donacion segun el valor della, se ha de entender, conuene à saber si la dicha donacion fuere acceptada por el absente, como la prouea Alciato, Alexandro, y Decio; y lo tienen Molina, y Gutierrez contra otros que tienen lo contrario, ne ponetrando la sobredicha razon.] Sic ille.

RESOL. CXIV.

An Notarius possit pro absenti stipulari, ita ut non possit donare?

Sup. hoc infra in Res. 118. & 119. & si placeat lege doctri-nam alterius Res. eorum primarum annot.

Sup. hoc id. ramento magis late infra in Res. 115. & in aliis eius annot.